



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760


VD18 90117859

§.1. Constantinus Theodotam ducit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)



HISTORIA
ECCLESIASTICA.
LIBER XLV.



HADRIANUS PAPA.
CONSTANTINUS VI. IMPERATOR,
CAROLUS REX LONGOBAR-
DORUM.

§. I.

Constantinus Theodotam ducit.

Constantinus Imperator Mariam Im-
peratricem, quam invitus tori con-
sortem acceperat, in dies magis a-
versabatur, cumque jam proprio re-
gnaret arbitrio, dissolvere invisum ma-
Hist. Eccles. Tom. X.

Sæcul. VIII.
A. C. 795.

Sup. Lib.

XLIV.

§. 47. 48.

Theoph. an.
5. p. 396.

OO

Sæcul. VIII. trimonium constituit. Imo & Irene
 A. C. 795. Mater, qua compellente illam duxerat,
 jam ingratum vinculum rumpere suade-
 bat vaserrima mulier, eo nempe consi-
 lio, ut, cunctis filii inconstantiam devo-
 ventibus, amissam potestatem ad se ip-
 sam traheret. Hoc vero divortium me-
 ditabatur juvenis Imperator, captus a-
 more Theodotæ, puellæ, quæ inter Ma-
 riæ alumnas in aula serviebat. Novas
 igitur nuptias cogitans de industria in
 vulgus spargi jussit, Mariam vitæ suæ
 propinato veneno fuisse insidiatam. Ac
 nemini hac fabula imposuit.

vit. S. 7a-
 ras. c. 7. ap.
 Boll. 25. Feb.
 to. 5. p. 584.

Nihil etiam intentatum reliquit Con-
 stantinus, quo Patriarcham Tarasium eo
 adduceret, ut hoc divortium approba-
 ret. Misso enim Viro, Magistratu insi-
 gni, omnia adjuncta hujus molitionis,
 qua Imperator e medio tollendus erat,
 edoceri eum jussit, & suo nomine nun-
 ciari, hanc accusationem argumentis lu-
 culentissimis probari. Patriarcha inge-
 miscens respondit: *Nescio profecto, an
 Imperator par futurus sit ferenda infam-
 iæ, qua nomen suum coram omnibus na-
 tionibus notaturus est. Quomodo in sub-
 ditis suis adulteros, & improbos in om-
 nem vitæ licentiam effusos coercebit,
 postquam rem pessimi exempli patruerit?
 Etsi Imperatricis Mariæ facinus atroc-
 tam liquido constaret, ut dicis, nihilomi-*
 nus

nus perpendendum est Domini præceptum prohibentis, uxorem, nisi in causa adulterii, dimittere. Ergo, meo nomine Imperatori dices; me potius necem & acerbissima tormenta subiturum, quam ejus voluntati consensurum.

Sæcul. VIII.
A. C. 795.

Tarasius, deinde ab Imperatore accersitus, in Regiam venit, comitante Monacho Joanne, qui Concilio septimo Patriarcharum Orientalium nomine interfuerat. Itaque Imperator ad Patriarcham: *Nibil eorum, quæ acturus sum, te celare volui, quia Patris loco te habeo. Nemo negaverit, me posse dimittere mulierem, quæ mihi mortem machinata est, mulierem, ultimo supplicio, aut saltem penitentia perpetua dignam! ut verosentem esse scias inspice sceleris argumenta.* His, jubet afferri vas vitreum quod liquore turbido livebat, dicens, hic esse venenum, quo uxor sua usura erat, ut sibi vel vitam vel saltem rationem adimeret. At non potuit juvenili fraude Patriarcham fallere, qui Imperatori dixit, minime ignorare se, quod Theodotam deperiret. Tumque candide aperuit, se ejus matrimonium dirimere non posse, sed fore, ut in proposito perseverantem a Sanctuario arcere (id est, excommunicare) compelleretur. Joannes quoque Monachus, vir senectute venerabilis, diu & constanter coram Imperatore

Sup. Lib.
XLIV. §. 26

Sæcul. VIII. A. C. 795. ratore verba fecit, indignantibus Prætoribus & Patriciis, quorum aliquis acriter differentem percussurus ensem nudaverat. Tandem Imperator, cum non haberet, quod responderet, utrumque e conspectu abigi jubet.

Theoph.an. 5 Itaque Constantinus a proposito se dimoveri non passus Mariam Imperatricem Monacham esse cogit, & detondet

Constantini Nuptiæ. mense Januario Indictionis tertiæ anno septingentesimo nonagesimo quinto. Mense Augusto sequente Theodotam Imperatricem proclamat & Sponsam. Cum vero Patriarcham permovere non potuisset, ut nuptiis benediceret, accessit alio Presbytero, nempe Josepho Abbate & Oeconomo Ecclesiæ Constantinopolitanæ, eam publice duxit die quarta mensis Septembris sequentis in Palatio Mamæ Indictione quarta jam inchoata. Hoc Imperatoris factum non modo Constantinopoli, sed etiam in aliis Urbibus & Provinciis remotissimis, quales erant Bosphorus † & Gothia, maximum scandalum creavit, Provinciarum Rectoribus aliisque Optimatibus Imperatoris exemplum sequentibus, cum quidam uxores suas expellerent, & alii unacum uxore pellices domi alerent, ita ut perniciofa licentia sisti non posset.

† nempe Cimmerius.

S. Plato & S. Theodorus soli generosum pectus tanto malo manifeste opposue-

posuerunt, Communionem Imperatoris
 respuentes. Nam Tarasius Patriarcha
 ultra minas non est progressus, nec cre-
 didit e re Ecclesiæ fore, si Imperatorem
 excommunicaret, ne ansam ipsi daret
 deficiendi ad factionem Iconoclastarum,
 quorum non exiguus erat numerus;
 quippe id se facturum juvenili audacia
 minatus fuerat. Ergo Tarasio videba-
 tur, dissimulandum esse, ne Principem
 ad pejora impelleret. Nihilominus pru-
 dentissimum virum Imperator pessime
 habuit; nam Syncellos dedit, verius ex-
 ploratores, qui omnes, nisi quos sibi fa-
 vere noverant, a Patriarchæ alloquio
 arcebant. Familiares quoque Patriar-
 chæ & propinquos Imperator contume-
 liis affici & relegari iussit.

§. II.

S. Platonis initia.

Plato, de quo prius nobis mentio fuit,
 anno septingentesimo trigesimo quin-
 to Constantinopoli Sergio & Euphemia
 nobilibus & divitibus parentibus ortus,
 iisdem postea & plerisque propinquo-
 rum suorum peste Constantinopolim di-
 re depopulante anno 745. orbatus, bene-
 ficio unius patruum, Ærario Imperatoris
 præfecti, educatus est. Cumque Plato
 adolescens peritissime notas efformaret,
 initio patrum sublevare, & deinde mu-
 nere